



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Thesavrvs Casvum Conscientiæ**

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque  
Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

**Sayer, Gregory**

**Venetiis, 1627**

vi. De suspensione a beneficio, seu a beneficijs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13883**

25 Indulgentiarum etiam capax est, & si moriatur, in loco sacro sepeliri potest, Quorum omnium hæc ratio est, quia Sacramenta sumere, officia divina audire, indulgentiarum participem esse, Clericis non conveniunt, quatenus Clerici sunt, sed ut membra privata sunt Ecclesie.

26 Decimus modus est, *Suspendo te a Divinis officiis*: Hæc suspensio efficit, ne Clerici possint cum alijs officari in Choro cantando Psalmos immo, ut nec possint ipsis Divinis officijs interesse, aut ea audire secundum Hostiensem, Goffred. & Raym. quos refert Angelica, & sequitur in verbo, suspensio, 3. nu. 3. in fine. Summ. i. Pisan. verbo, suspensio, in fine. Sylvest. verbo, suspensio, nu. 5. Addunt autem Angelica, Sylvester & Corona Confessorum tit. de Suspensione, nu. 6. non fore irregularem si solum interfit ut simplex laicus.

27 Undecimus modus est, *Suspendo te ab aliquo officio particulari*: Istæ suspensionis modus suspendit tantum ab actu illo particularis officij; suspensio enim præscripta sibi terminos non transgreditur, ita ut reliqua facere liceat, præter id quod prohibitum est, ut senserunt Innoc. in capitul. cum dilectus, nu. 4. de Consuetud. Panorm. in cap. Apostolica, nu. 6. de except. Caiet. in Summa, verbo, suspensio, & Arnilla eo. nu. 4. Tabiena, verbo, interdictum, r. nu. 14. §. Decimotertio. Vgol. Tab. 4. ca. 6. §. 4. ut enim ait Henriquez lib. 1. 3. de excommuni. & susp. ca. 32. §. 1. Suspensio restringitur ex proprietate verborum, ad effectum expressum quantum tamen ad officia ordinum spectat, si sit suspensio ab officio ordinis alicuius inferioris, intelligitur etiam suspendere ab exercitio omnium superiorum iuxta ea quæ cap. 3. regula prima dicta sunt. Quibus addi potest, ex Nau. in Man. cap. 27. nu. 163. vers. Octavo infertur, suspensionem ab officio prædicandi, celebrando non peccare, & ait esse communem opinionem DD. in Clem. Cupientes, de penis, & multo minus peccat Evangelium in Missa cantando, ut constat.

16 Suspensione durante, fructus interim currentes in utilitatem ecclesie converti debent.

17 Suspensione dubia existente, fructus beneficii sequestrari debent.

18 Suspensione existente iniusta, vel dubia, quid interim de distributionibus quotidianis faciendum.

19 Suspendus ab uno aliquo beneficio, aliorum beneficiorum fructus consequitur.

20 Suspendus ab aliquo uno beneficio, alia beneficia extra illam ecclesiam consequi potest.

21 Suspendus à beneficio simpliciter, an à beneficijs, quæ alibi habet, suspensus censeatur.

22 Suspendere potest episcopus subditum suum ab omnibus beneficijs quæ alibi habet.

23 Suspendens à beneficio, a iure percipiendi fructus suspendit, quod ius clerico beneficiato inhereat.

24 Suspendio à beneficio lata a iure ob causam generalem, de omnibus ubique beneficijs intelligitur.

25 Suspendio à beneficio lata a iure ob causam particularem, effectum habet solum respectu beneficiorum illius Ecclesie.

26 Suspendio lata ab homine intendente suspendere ab omnibus, effectum suum habet etiam extra territorium suspendentis.

27 Suspendio lata ab homine intendente tantum suspendere a beneficijs sui territorij, de illis solis intelligenda est.

28 Suspendus ab homine non declarante an de omnibus ubique beneficijs, vel solum de beneficijs sui diocesis, de beneficijs diocesis interpretari potest.

29 Suspendus uno loco ab officio, cur ubique suspensus est, non autem suspensus a beneficio.

30 Suspendus ab uno beneficio in uno loco, quando beneficium de nouo alinud acquirere valeat.

De Suspensione à Beneficio, seu a Beneficiis. Cap. VI.

S Y M M A R I U M.

- 1 Beneficium Ecclesiasticum quidnam proprie sit.
- 2 Suspendio à beneficio, seu à beneficijs, titulum, aut possessionem beneficii non tollit.
- 3 Suspendus à beneficio, omnia spiritualia, & temporalia, ut prius agere potest.
- 4 Suspendus à beneficio, eligere, excommunicare, & absolvere potest.
- 5 Suspendus à beneficio, illius beneficii negotia agere nequit, & quare.
- 6 Suspendus interim dum quis est à beneficio, à superiore economus, seu vicarius ad tempus assignari debet.
- 7 Suspendus à beneficio, eligere, & vocem habere potest, dummodo vox ei ratione illius beneficii non competat.
- 8 Suspendus à beneficio, cum ab officio non suspensus sit, in Ecclesia, à cuius beneficio suspenditur, celebrare, & officia divina exercere potest, & debet.
- 9 Suspendio à beneficio efficit, ut illius fructibus priuatur.
- 10 Fructuum beneficialium nomine, quænam intelligantur.
- 11 Suspendus à beneficio, an distributiones quotidianas lucrari possit.
- 12 Suspendus à beneficio propter delictum, quando potest se ex fructibus beneficii sustentare.
- 13 Suspendus à beneficio ob contumaciam, nihil ex fructibus beneficii durante tali suspensione percipere potest.
- 14 Suspendus à beneficio ob contumaciam, si ecclesiasticus officiat, distributiones quotidianas accipere valet.
- 15 Suspendus à beneficio, à fructibus patrimonij sui non suspenditur.

1 **D**ecimus modus est. *Suspendo te a beneficio, seu a beneficijs*: Est autem beneficium Ecclesiasticum, ius quoddam perpetuum Clerico, canonicè inherens percipiendi fructus pecunia æstimabiles, necnon census, & emolumenta omnia alicuius Ecclesie; itemque iura hæc, & Ecclesiam tuendi, ut Vgol. Tab. 4. cap. 8. latius explicat. Hæc igitur suspensio.

2 Primo non suspendit neque tollit titulum, aut possessionem ipsius beneficii; ut communis DD. sententia testatur, & faciunt, quæ docet Panorm. in cap. cum Vintoniensis, nu. 10. vers. Tertio not. ex gloss. de elect. & in cap. cum dilectus, nu. 20. vers. Quandoque quis suspenditur à beneficio, de Consuetud. & in cap. sicut ad extirpanda, nu. 4. vers. Tertia differentia, de cohab. Cler. & mulier. idem docent Gem. in cap. cupientes, §. ceterum, nu. 3. de elect. lib. 6. vbi expressè affirmat, per suspensionem non priuari aliquem titulo beneficii, quod etiam tradunt Anchar. & Philip. Franc. in d. §. ceterum, & satis colligitur ex d. ca. cupientes, vbi habetur, suspensionem à beneficio per triennium, si intra id temporis ei se ingesserit, ipso iure priuatum esse beneficio, ergo per suspensionem antea priuatus non fuit. id ipsum tradunt Henriquez lib. 13. de excommuni. & susp. cap. 32. §. 4. & Vgol. Tab. 4. cap. 8. §. 1.

3 Secundo Suspendio a beneficio, non impedit quo minus suspendus possit agere omnia spiritualia, & temporalia, ut expressè tenet gloss. in cap. cum Vintoniensis, in verbo, admiserant, de elect. Quod tamen glossie dictum Panorm. ibi nu. 10. & in cap. Apostolica, nu. 8. de except. limitat, procedere solum in illis omnibus quæ spectant ad officium, omnia enim alia quæ ad officium spectant exercere poterit, siue sint spiritualia, siue temporalia; cum enim ex eo, quod quis à beneficio suspenditur, non intelligatur suspendus ab officio, vel à iurisdictione, cõsequens est exercere posse quæ ad officium & iurisdictionem pertinent, vnde Pan. in c. cum dilectus, nu. 20. de consuet. & eum sequuntur Tabiena, verbo, suspensio, nu. 3. vers. Secundo, & Toletus lib. 1. c. c. cap. 14.

- 4 cap. 14. inferunt, canonicum a suis beneficijs suspensum, posse eligere, cum hoc sit officij; & citant ad hoc d. ca. cum Vintoniensis, & cap. cum in cunctis, de elect. & Palud. 4. dist. 18. q. 7. art. 3. Concluf. 8. ait, suspensum tantum a beneficio, in nullo officio habere impedimentum plusquam ante, & ideo posse excommunicare & absolueret; De negotijs autem pertinentibus ad ipsum beneficium, a quo est suspensus, nihil potest, nec nomine proprio illius negocia gerere, vt ait Panorm. in d. ca. Apostolica, nu. 8. quandoquidem eius administratione caret, ex Panorm. in cap. pastoralis, §. verum, nu. 18. de appell. & in cap. veritatis, nume. 16. de dolo & contumac. vt habetur in cap. 11. §. Qui vero, de elect. lib. 6. & in cap. cupientes, §. ceterum, tit. eod. lib. 6. vbi habetur, suspensum a beneficio, si intra illud tempus eis ingesserit, ipso iure priuatum esse; non ergo seingere debet, non enim puniretur, si id posset arg. cap. Qui peccat, 23. q. 4. & l. Gracchus, C. de adult. Cum igitur sic a beneficio suspensus nomine proprio pro sua Ecclesia, & eiusdem rebus agere non possit, vt præter citatos docent glos. in c. Apostolica in verbo contingeret retardari de except. & ibi Panorm. nu. 8. Decius & DD. & post hos Felin. in c. intelleximus, num. 21. de iudic. in fr. minus beneficium, a quo suspensus est, permutare poterit, vt dixit Ioan. And. quem refert & sequitur Gemin. in cap. cupientes, §. ceterum, num. 7. & Franc. ibi, de elect. lib. 6. vnde vt tradit Panorm. in cap. pastoralis, §. verum, num. 8. de appell. beneficio huic suspensi, deputari debet æconomus per superiorum, aut vicarius ad tempus, iuxta ea quæ habentur in simili in c. peruenit, 2. de appell. & in cap. cum ex eo. de ele. lib. 6. & in c. fin. §. si autem dilapidator. de statu Monach. & Canon. reg. id quod expresse fatetur, Vgol. Tab. 4. cap. 8. §. 2. num. 2.
- 7 Tertio, Suspensio a beneficio nõ imedit, quo minus sic suspensus eligere possit, & habere vocem, vt expresse tradit glos. in capit. cum Vintoniensis, in verbo, admiserant & ibi Panorm. num. 10. de elect. & glos. in capit. cupientes, §. ceterum, in verbo, Beneficijs, & ibidem Gemin. de elect. lib. 6. Oldrad. conf. 49. & 286. Panorm. in c. cum dilectus, num. 20. de Consuetud. & in cap. Apostolica, numer. 8. de except. citans ad hoc cap. cum in cunctis, §. fina. de elect. vbi id probatur, ex eo quod Pontifex separatim ponit suspensionem a potestate eligendi, & suspensionem a beneficijs, & Tabiena, verbo suspensi, nu. 3. vers. Secundo notandum, Nauar. in Manual. cap. 27. num. 163. vers. Sexto, Vgol. Tab. 4. c. 8. §. 9. Henriquez lib. 13. de excom. & susp. c. 32. §. 4. Quod tamen dictum vt Na. Henriquez notant, verum est, respectu vocis seu electionis quæ aliunde competit, vt quia est patronus secus autem, si competit ei ratione beneficij illius, a quo est suspensus, tunc enim vt est suspensus a beneficio, ita etiam a voce, quæ ei ratione illius beneficij competit. Quo modo conciliari possunt auctores qui dicunt suspensum a beneficio posse eligere, & habere vocem, & non posse eligere, nec vocem habere, illi enim in eligendi sunt de voce, quæ ob aliam causam, quam ratione beneficij suspensio competit; isti vero de voce, quæ suspensio ratione beneficij conuenit.
- 8 Quarto suspensio a beneficio non extendit se ad officij vnic. sic suspensus in Ecclesia, a cuius beneficio suspensus est, & celebrare, & alia omnia diuina officia exercere potest, & debet, sicut antea potuit, & debuit sic glo. in capit. cum Vintoniensis in verb. admiserant, & ibi Panormita. num. 10. de elect. & glos. in cap. latores, in verbo ab officio de cler. excom. ministr. & in cap. cupientes, §. ceterum. in verb. beneficijs, & ibi Gemin. Franc. & Anchar. de elect. lib. 6. Panorm. in c. Apostolica, num. 8. de except. & in capit. cum dilectus, num. 20. de consuetud. Henriquez lib. 13. de excomm. & susp. cap. 32. §. 4. Vgol. Tab. 4. capit. 8. §. 8. Ratio est, quia cum suspensio hæc in pœnam eorum introducta sit, non debet in eorum releuationem aliquid operari quod sine dubio faceret si officium, quod oneris est sicut prius recitare non tenerentur; immo vt notant glos. in d. capit. cupientes, vbi supra, & alij DD. si Ecclesiam officiate recitent, per priuationem beneficiorum compellere eos poterit Episcopus, si causam rationabilem non allegant, cur eis non infertant, argum. cap. inter quatuor

de Cler. non resid, quo tamen casu de ipsorum beneficijs Ecclesie deferri faciet, arg. ca. penult. de Cler. non resid. & c. peruenit 2. de appellat.

- 9 Quinto, Suspensio a beneficio pro effectu proximo habet, vt fructibus beneficij suspensum priuet, vt DD. communiter tradunt, sic Panormita. in cap. cum Vintoniensis, num. 10. vers. Tertio not. ex glos. de elect. & in ca. Apostolica, numer. 7. de except. & in cap. cum bona, nume. 6. de atat. & qual. Gemin. numer. 3. & Philip. Franc. & Anchar. in capit. cupientes, §. ceterum, de elect. lib. 6. Tabiena, verbo, suspensio, num. 3. vers. Secundo, Henriquez lib. 13. de excomm. & susp. capit. 32. §. 4. Vgol. Tab. 4. capit. 8. §. 1. & §. 2. §. 6. Fructibus autem nomine intelliguntur emolumenta omnia, quæ ei ratione beneficij competunt, vt sunt pensiones ædium, quæ locantur, fructus qui ex fundis beneficij percipiuntur, oblationes, quæ Ecclesie offeruntur, hæc enim de iure parochialis sunt, sicut etiam & decimæ, adeo vt Clericus alius, qui hoc ius non habet illas percipere non poterit, ex Panorm. in Rubr. de paroch. num. 2. & num. 4. Zabari. in Clem. 2. num. 6. de vita & honest. Cleric. Vgol. Tabul. 4. capitulo 8. §. 2. numero 1.

Id quod procedit

Primo, siue quis ab homine, siue a iure a beneficio suspensus sit, argum. capit. cupientes, §. ceterum, de elect. lib. 6. & ea. 1. eod. tit. & lib. Panorm. in cap. sicut ad extirpanda, num. 4. vers. Tertia differentia, de cohab. Cler. & mul. cum eadem omnino quoad hoc ratio sit in vitroque casu.

Secundo procedit, siue Episcopus, siue Archiepiscopus, siue Patriarcha sit, qui a beneficio suspenditur.

Tertio, etiam vbi pro pœna suspensus sit, & eam delicti, ob quod suspenditur, pœnuerit, adhuc enim fructibus beneficij carebit; alioquin ludibrio haberetur hæc suspensio, si ad arbitrium suspensio tolleretur, ut simili notat glos. in capit. cupientes, §. ceterum, in verbo, suspensio, de elect. lib. 6. & expresse docet Vgol. Tabul. 4. capitulo 8. §. 6. numero 2. & est communis DD. sententia.

- 11 Dubium tamen inter DD. est An si suspensus a beneficio lucratur distributiones quotidianas, quæ tribui solent illis, qui diuinis officijs interfunt? In qua re licet glo. in Clem. 2. in verbo, suspensus, de vita & honest. Cleric. & ibi Zabari. numer. 6. & Anchar. num. 3. & Decius. in cap. pastoralis, §. verum, num. 7. de appell. Felin. in cap. Apostolica, numer. 13. de except. quos refert, & sequitur Vgol. Tab. 4. capit. 8. §. 2. velint etiam istis distributionibus quotidianis priuari; quia tamen vt notat Rota, quam refert & sequitur Paul. Fusc. lib. 2. de visit. & regim. Eccles. cap. 29. num. 10. distributiones istæ beneficij nomine nõ comprehenduntur, certum mihi videtur si interim durante suspensione officiant in Ecclesia, omnes illas distributiones, quæ non dantur intuitu beneficij, sed intuitu officij, illi qui diuinis officijs interfunt, accipere possint. Vnde, si distributiones darentur solis beneficiarijs, vel si alijs beneficiarijs daretur maior portio distributionum, tunc suspensus iste a beneficio, accipere nõ posset illam partem distributionum, quæ daretur beneficiarijs; Ratio est, quia suspensus a beneficio est suspensus ab omnibus fructibus competentibus ei ratione beneficij. Excipitur tamen vnus casus, quando scilicet augmentum istud distributionum quod datur ratione beneficij, necessarium esset ad simplicem sustentationem, & beneficiarius non haberet aliunde vnde viueret; tunc enim sicut poterit aliquid accipere ex fructibus beneficij, ita etiam augmentum hoc distributionum, quod ei ratione beneficij competit accipere poterit.

- 12 Sexto, Suspensus a beneficio propter delictum, si non habeat aliunde necessariam sustentationem, necque ex parte aliqua, vel industria quam possit exercere, necque ex bonis patrimonialibus, licet potest aliquid de fructibus beneficij accipere, & tantum quantum est necessarium ad simplicem sustentationem, facit ea. studeat, & ibi glo. in verbo, vt tale beneficium, & in verbo, vt sus. dist. 50. & glo. in ca. cum Vintoniensis, in verbo admiserant, in fine, & ibi Panorm. num. 19. de elect. & Bald. ibidem. Panorm. in cap. pastoralis.

foralis, §. verum, num. 16. de appell. & Decius ibidem, & ibidem Panorm. in cap. Apostolica, num. 7. de except. & ibi Felin. num. 12. idem Panorm. in repet. cap. cum eiles, num. 28. de testam. Gemin. in cap. si compromissarius, & ibi Archid. & Franc. de elect. lib. 6. Petr. Folter. in Praxi Crimi. Canon. par. 3. aud. cap. 3. num. 106. Vgol. Tab. 4. cap. 8. §. 7. num. 2. & Corona Confessorum. tit. de suspensione, nu. 6. & Alphonsus Viuald. in suo Candelabro aureo. tit. de Suspensione, num. 139. & Toletus lib. 1. cap. 14. Quorum omnium ea est ratio; quia dispensatue prouidet illis Ecclesia de aliquibus temporalibus, ne intem in opprobrium Cleri, & ordinis Clericalis mendicare cogantur, ex Panorm. in d. §. verum, num. 16. de appell. & glos. in simili docet, in cap. pastoralis, §. verum, in verbo, Subrahaturus, de appell. & facit cap. diaconi, dist. 93. & glos. in capit. 1. in verb. necessitatem, 2. quæst. 1. & in Clement. 1. 19. qui in verbo, pars dimidia, de arat. & qualif. & Trident. sess. 21. de reform. cap. 2. Dixi, si aliunde non habeat necessarias sustentationem; quia venotane Ioan. Andr. in addit. ad glos. in c. cum Vintonienfis, in verbo, admiserant, & Pav. ibi, nu. 10. de elect. si t. l. suspenfus a beneficio haberet patrimonium, vel aliud vnde viuere posset, tunc ex beneficio durante suspensione nihil habere deberet. Dixi etiam simplici cum tantum sustentationem percipere posse, quia non potest accipere pro decentia status, vt colligitur ex d. cap. studet, & glos. ibi, & DD. vbi supra, & communiter receptum est.

23 Septimo, Suspenfus a beneficio ob contumaciam nihil omnino percipere potest ex fructibus beneficii durante tali suspensione & consequenter nec accipere poterit aliud aliquod augmentum distributionum, quod ei ratione beneficii competit. Sic Dominicus in cap. cum Vintonienfis, de elect. & facit cap. Quia saepe, iuncta glo. in verbo, beneficijs quibuscuque, de elect. lib. 6. & Clemen. Vt ij qui iuncta glo. in verbo pars dimidia, de arat. & qualif. & expresse Panorm. in cap. pastoralis, §. verum, num. 16. de appell. Vgol. Tab. 4. capitul. 8. §. 7. numero secundo, & Iacobus de Grassis, lib. 4. Deci. saur. cap. 25. num. 6. Ratio ex Panorm. est quia suspenfus ob contumaciam exire potest a suspensione quando vult; quandoque enim superiori obedierit, liberabitur a suspensione. Si igitur ex animi obstinatione in sua contumacia & suspensione manere velit, nihil ex fructibus beneficii meretur. Nam saepe homines de cibo securi iustitiam negligunt, ca. Non omnis, §. q. 5. Quam etiam rationem assignat Panorm. cur excommunicato habenti beneficium non prouideatur de alimentis, quia potest exire ab excommunicatione quando vult, petendo absolutionem. Quamuis si necessitas summa adesse, etiam sic suspensio subueniendum erit, vt de excommunicatione docet glos. in cap. pastoralis, §. verum, in verbo, Subrahaturus in fine, & ibi Panorm. numer. 16. de appell. vt latius diximus lib. 2. ca. 13. Excipio autem in hoc casu distributiones quotidianas, quas etiam ob contumaciam suspenfum licite accipere posse puto, eo modo quo accipiunt non beneficiati, si in Ecclesia officij? Ratio est; quia distributiones istae nec cum beneficio coniunctae sunt, nec ratione & intuitu beneficii praesentibus dari solent.

11 Octavo, Suspenfus a beneficio a fructibus patrimonij sui, quod sibi pro titulo assignatur iuxta formam traditam a Conc. Trident. sess. 21. de reform. cap. 2. non est suspenfus, quandoquidem Ecclesiastici beneficii nomine beneficium hoc non comprehenditur, tum quia non pertinet ad Ecclesiam, tum quia illud non ab Ecclesia, sed ex patrimonio suo habet; tum quia patrimonium illud non est factum beneficium Ecclesiae, ideoque licet quodammodo in beneficio locum succedat, nec illud ad arbitrium alienare possit, beneficii tamē Ecclesiastici naturam, ob allatas rationes, non sequitur, vt merito propterea suspenfus a beneficio, sicut alterius patrimonij fructus omnes, ita etiam & partis eius, quae pro titulo ei assignatur, sicut prius consequitur. Pro qua re faciunt quae tradunt glos. in ca. Tuis, in verbo, de patrimonialibus, & glos. fina, & in c. de multa, in verbo prouentibus, de praebend. Pan. in ca. Apostolica, nu. 7. de except. & in c. peruenit, num. 12. de fideiuss. Felin. in c. Ecclesia Sanctae Mariae nu. 10. de Constituti & expresse

Vgol. Tabul. 4. capitul. 8. §. 7. numero 3.

16 Nono, Quoad fructus beneficii qui currunt tempore suspensionis, duo praecipue aduertenda sunt, vnum est, Quod existente suspensione iusta, huiusmodi fructus in utilitatem Ecclesiae conuertendi sunt; distributiones verò eodem tempore currentes, quibus casibus eas non lucratur suspensus, alijs Clericis qui Diuinis officijs interfunt, accrescere debent, vt latius traditur a glo. in Clem. Vt ijs, qui, in verbo, pars dimidia, de arat. & qualif. & ibidem Guiliel. de monte Lauduno nu. 4. arg. Infit. de leg. §. si eadem, & cap. si quis deinceps, 17. quæst. 4. & glos. in Clem. 2. in verbo, suspensus, de vita & honest. Cleri. & a Panorm. in cap. penult. de Cler. non resid. num. 1. & in cap. pastoralis, §. verum, num. 22. de appellat. Alterum est, Suspensione existente iniusta vel dubia, fructus beneficii sequestrandis sunt, & 17 conseruandi, ex Felino, in capitul. Apostolica, de except. ita, vt quando de eius iniustitia constiterit, ipsi suspensio restitui possint, cui in hoc casu debentur huiusmodi fructus, facit cap. super causa & ibi glos. in verbo, Beneficia, & Dominic. ibidem, 2. quæst. 5. Panorm. in cap. cum bono num. 6. de arat. & qualif. Felin. in d. c. Apostolica num. 3. Vgol. Tab. 3. c. 8. §. 7. nu. 4. dummodo in mora non fuerit petendi absolutionem.

18 De distributionibus autem carentibus tempore suspensionis iniustitiae, vel dubiae, distinguendum est; vel enim suspensus non accipit distributiones propter suspensionem ab officio, eo quod cum non interfit officijs non videtur illas lucrari; vel loquimur de distributionibus quas non accipit ratione suspensionis a beneficio, cum tamen seruiat, iuxta modum supradictum; Si propter secundum, cum iste verè seruiat, hoc ipso quod suspensio inuenitur iniusta, dicendum est ei restituendas esse, quia sine culpa sua priuari non potest; Si verò propter primum, quia scilicet est suspensus ab officio, quamuis Dominicus in cap. contumaces, dist. 50. simpliciter asserat, non esse restituendas, etiam suspensione existente iniusta, propterea quod Ecclesia non seruit, vnde etiam si non esset suspensus, hoc ipso quod non fruiret, non lucraretur eas, & faciunt quae tradit glos. in cap. contumaces Clerici, in verbo, Dignitatemque, dist. 50. Mihi tamen verior videtur opinio Felini, in cap. Apostolica, num. 13. de except. affirmantis, quod si suspensus ab officio priusquam suspenderetur, sequestraret Chorum, hoc ipso quod suspensio postea inuenitur iniusta, illi restitui debent distributiones omnes, quia cum consueuerit frequentate Ecclesiam, non ex culpa sua est, sed ex culpa Iudicis iniuste suspendentis, quod nunc eam non frequenta uerit, sine culpa verò sua priuari non debet. Quo tamē casu, si iam alijs qui interim Diuinis inseruierunt, acquisita sint non a Canonice, sed a beo qui eum iniuste suspendit, illas omnes recuperabit, arg. ca. Sacro, §. verum si contra, de sent. excom. & expresse Vgol. Tab. 3. c. 8. §. 7. num. 4. & nos latius de excommunicato iniuste, lib. 2. c. 4. veri. Decimo septimo, ex cōi DD. & recepta sententia docuimus.

19 Decimo, Suspenfus ab vno aliquo beneficio, aliorum beneficiorum a quibus non est suspensus, fructus consequitur, vt habetur in cap. cupientes, §. ceterum, & in capitul. si compromissarius, versic. restringitur, de elect. lib. 6. & in capit. si Canonici, de offic. ordin. lib. 6. & capit. 2. de rebus Eccles. non alien. & tradit glos. in d. c. si compromissarius, in verbo, illius beneficii. Limitata enim causa, limitatum producit effectum, arg. l. in agris, ff. de acquir. rerum domin. & exceptio vnus alterius inclusio est, arg. cap. Nonne, de praesumpt. & licum Praetor, ff. de iudic. suspensus igitur ab aliquo in vno beneficio ab alijs suspensus non erit.

20 Quibus addo, sic suspensum ab aliquo tantum beneficio, seu a beneficijs alicuius Ecclesiae, alibi etiam beneficium consequi posse, seu ad beneficia, quae extra Ecclesiam illam sunt, eligi potest, vt docet Laurent. quem refert, ac sequitur Zabar. in Clement. 2. nu. 22. de arate & qualif. & idem dicant Summa Astensis, par. 2. lib. 7. tit. 16. art. 1. qu. 14. & Vgol. in Tab. 4. cap. 8. §. 6. num. 1. & colligitur ex cap. 1. §. fina. iuncta glos. ibidem, in verbo beneficijs, & ex cap. cupientes, §. ceterum, & ibi glos. in verbo Beneficijs, & capitul. si compromissarius, §. restringitur iuncta glos. in

verbo, in illius beneficijs, de elect. lib. 6. vbi suspensus a beneficio alicuius Ecclesie, ab alijs beneficijs in eadem Ecclesia consequendis interim suspensus est; secus autem quoad beneficia, quae ad aliam Ecclesiam pertinent, vt glos. in locis cit. affirmat, iuxta ea tamen quae inferius dicemus.

21 *Dubium* solum est, An suspensus a beneficio simpliciter etiam a beneficijs quae alibi habet, suspensus censetur? In qua re variae sunt DD. sententiae.

*Prima* opinio est glos. in capitul. pastoralis, §. verum, in verbo, subtrahuntur, de appell. & ibi Decius, num. 10. eam glosam secutus est, qui ambo affirmant suspensum a beneficijs quae habet in vno loco non esse suspensum a beneficijs, quae alio in loco habet; & probat hoc glos. ex cap. la cui, dist. 16. cap. 2. dist. 58. qui tamen Canones mini parum aut nihil id probare videntur. Ratio tamen pro hac sententia esse potest; quia extra territorium suum Iudex auctoritatem & Iurisdictionem non habet, ideoq. nihil operari potest suspensio extra suum territorium, arg. cap. fina, de Constit. lib. 6.

*Secunda* opinio est cuiusdam Tarantasia, quem refert Barghassius tract. de irreg. par. 6. in tit. de sententia suspensionis, num. 48. dicentis, si suspensio ab homine fit, solum suspendere a beneficio, quod habet in illo loco; si vero a iure, suspendere ab omnibus beneficijs, quae habet vbi que. Probat, quia homo breuius habet manus, quam habet Canon, seu Lex, id est, quia sententia hominis non se extendit ultra suum territorium. Vt autem nihil in praesentiarum dicam de substantia huius sententiae, ratio eius falsum assumit; potest enim homo suspendere suum subditum ab omnibus beneficijs, quae habet vbi que, immo, & priuare, sicut potest suspendere ab officio vbi que, licet in hoc casu executio huius sententiae pro illis beneficijs, quae sunt extra territorium iudicis facienda sit non a Iudice suspendere, sed a Iudice territorij in quo sunt beneficia, arg. cap. postulasti, de foro compet. & c. 1. §. contrahentes, de foro compet. lib. 6. & expresse docet Vgolin. Tab. 4. cap. 8. §. 5. num. 2. post Panor. in d. cap. postulasti, nu. 7. & 8. & haec sententia obligat suspensum in conscientia ad abstinendum ab omnibus beneficijs.

23 *Nec* obstat ca. fina, de Constit. lib. 6. & l. fin. ff. de iurisd. omni. iudic. vbi dicitur, quod extra territorium, ius dicenti non poterit imponere, & quod extra territorium suum Iurisdictione non extenditur; aut quod hoc esset ponere falcem in messem alienam, contra ca. venerabilem, de elect. & c. noui, de iudic. Quia Iudex suspendendo a beneficio non suspendit per se, & proxime ab ipsa re, in qua Clericus ius percipiendi fructus habet, quo casu extra territorium ius diceret, sed ab eo iure scilicet percipiendi fructus suspendit, quod ius Clerico beneficiato inheret; penes ipsum enim beneficiatum titulus beneficij residet, sicut alia iura, vt notat glos. in l. 3. ff. pro socio; ex qua re fit, vt extra territorium non suspendat, sed solum Clericum eo iure percipiendi fructus per suspensionem priuat, quod omnibus suis inheret, vt dicimus de alijs iuribus incorporalibus. Ex quo igitur ratione delicti persona est sibi subiecta, potest ius inherens personae abdicare ab illa persona, vt optime tradit Panor. in d. cap. postulasti, num. 7. in fine. & citat etiam Innocen. & idem in simili questione, scilicet in publicatione honorum, quae fit de iure communi ratione delicti sentit Barr. in Lecturis populos. C. de sum. Trin. & Io. Andr. in cap. cum secundum leges, de her. lib. 6. post Ioan. Calder.

24 *Tertia* sententia est Ant. quem refert, ac sequitur Pan. in cap. pastoralis, §. verum, num. 21. de appell. Pro cuius pleniori declaratione distinguendum est; Nam vel haec suspensio a beneficio inferatur a iure, vel ab homine, si a iure, vel sit ex causa concernente aliquam certam & particularem Ecclesiam; vel sit simpliciter propter causam generalem; si ab homine, vel Iudex intendebat suspendere ab omnibus beneficijs vbi que habitis; vel intendebat tantum suspendere ab illis beneficijs, quae sita erant in territorio suo. Quia distinctione posita, respondent auctores praefati ad questionem his quatuor dictis.

*Primum* est, si suspensio a beneficio sit lata a iure propter causam generalem, intelligitur suspensio ab omnibus

vbi que beneficijs; quod probant per rationes cap. si contra promissarius de elect. lib. 6. etenim indefinita oratio vniuersalis vim habet, vbi eadem ratio & causa in omnibus casibus tenentur; vt de si Clericus in suspensionem inciderit, quod Clericalibus vtilibus non viatur hic ab omnibus beneficijs suspensus erit, ex Clem. 2. iuncta glos. in verbo de i. c. beneficiorum, de vita & honest. Cler. quandoquidem, vt ait ibi glosa, talis vniuersum statum Ecclesie, offendit, & minus vnam Ecclesiam, quam aliam, & totum ordinem Clericalem denigrat, vt etiam Anchar. ibi, num. 3. & Zabarnam. §. testatur, eoque secutus Vgolin. Tab. 4. cap. 8. §. 4. affirmat, & §. 5. num. 1. vbi hoc non solum procedit, vt putat, quando suspensio fertur a iure communi, sed etiam quando fertur a Statuto Episcopi, dummodo suspensio id voluisse constiterit.

25 *Secundum* est, si suspensio lata sit a iure propter causam particularem concernentem certam Ecclesiam, tunc suspensio operatur solum respectu beneficiorum illius Ecclesiae, vt probatur in cap. cum in cunctis, in fine de elect. in antiq. iuncto cap. si compromissarius, eod. tit. lib. 6. & ibi communiter notatur, & facit cap. 2. de offic. ordin. lib. 6. & cap. fin. vers. Et nihilominus, de reb. Eccles. non alien. lib. 6. & c. fin. de temp. ord. lib. 6. sic enim Papa interpretatus est, cap. 1. de elect. in cap. cupientes, §. ceterum, & in c. si compromissarius, iuncta glos. in verbo, restringitur, de elect. lib. 6. Ratio est, quia ratio & causae suspensionis particularis est, cum particularem statum producere debet, ne poenae grauitas culpa grauitatem excedat, argum. ex d. de ijs, quae sunt a maior. par. ca. vnde si Canonici in lectione sui antistitis peccat contra cap. 1. & contra cupientes, & contra cap. si compromissarius, de elect. lib. 6. ab ijs tantum beneficijs suspensus erit, quae in illa Ecclesia habet.

26 *Tertium* est, si suspensio fertur ab homine intendente suspendere ab omnibus, sententia haec potrigit effectum suum, etiam extra territorium iudicis suspendentis, nec executio facienda sit in parte per Iudices aliarum Diocesium, in quibus habet alia beneficia, & probant per ea quae habentur in capitul. postulasti, & ibi Innocen. & Panor. num. 7. de foro compet. & idem docent Bernard. Diaz in Prac. Canon. cap. 122. & Vgol. Tab. 4. capitul. §. 5. num. 1.

27 *Quartum* est, si suspensio feratur ab homine intendente solum suspendere a beneficijs, quae habet in suo territorio, ab illis solum erit suspensus, argum. l. ex ea, ff. de pro. su. & c. 2. in fine de Constit. lib. 6. in quo solum procedit opinio prima, quam glosa fuisse diximus, actus enim agis praeter eius voluntatem non operatur, arg. ca. cum voluntate, de sente. excommuni. & l. Non omnis, ff. si cert. potat.

28 *Qua* sententia sic explicata mihi videtur ceteris prohibitor, eui tamen vnum adderem, scilicet suspensum ab homine non declarante suam intentionem, num. de omnibus vbi que beneficijs intendat, vel solum de beneficijs, sed diocesis, non teneri inquirere a Iudice, de qua suspensione intendat, sed posse bona conscientia interpretari hanc sententiam in parte meliorem, vt solum sit suspensus ab illis beneficijs suae Diocesis, non aliorum. Immo addo, quatenus ipse suspicatur ex aliqua coniectura probabili Iudicem intendere de omnibus, vt potest, quia causa generalis sit, quam obrem eum a beneficio suspendit, si tamen Iudex hoc nullo modo expressit, iura conscientia acquiescere potest intelligendo solum de beneficijs illius Diocesis, quaequid in hoc casu Vgolin. Tab. 4. cap. 8. §. 5. num. 1. existimet suspensum esse ab omnibus, etiam si nihil dixerit, si suspensionis causa generalis sit, cuius contrarium vultus esse putamus.

*Quod* si dicas, coniecturam quam habet in contrarium praualere debere, ita vt ab omnibus beneficijs vbi que suspensum repute? *Respondeo*, non debere nisi a iudice esse aliquo modo expressum, quia satis est, quod in poena aliquam patitur, & ipsimet iudici imputetur, quod non declarauit maiorem. Vnde Bernard. Diaz vbi supra, ait monendos esse Iudices, vt in sententia suspensionis a iure te declarent, a quibus ordinibus, vel actibus vel beneficijs

intendant suspendere Clericum, quia cum constat de voluntate Iudicis, illa seruanda est.

**29** Dubium alterum esse potest, quare in vno loco suspensus ab officio, hoc est, simpliciter ab officio suspensus, vbi que locorum suspensus sit, non autem suspensus a beneficio? Huius rationem Zabari in Clem. 2. num. 23. vers. Decimonono, de etate & qualitat. & Felin. in cap. Apostolica, num. 14. de except. eam esse dicunt, quod suspensio ab officio procedat a clauibus, quæ vbi que locorum operantur, arg. cap. 1. de treuga & pace, suspensio autem a beneficio procedit a Iurisdictione, quæ territorium suspendentis nõ egreditur, arg. c. fina. de Constitut. lib. 6. Quam tamen rationem superius refutauimus, asserentes, posse iudicẽ subditum suum suspendere ab omnibus beneficijs, quæ habet etiam extra diocesim suam. Melius igitur responderet Vgolin. Tab. 4. cap. 8. §. 5. num. 2. rationem esse, quia suspensus ab officio simpliciter, propterea quod idem officium semper est, vbi que ab eo suspensus censetur, ita vt illud obire minime possit; At verò ius percipiendi fructus in vna Ecclesia, diuersum est a iure percipiendi fructus in alia Ecclesia, vnde, suspensus ab vno iure, id est, ab vno beneficio, ab alio non est suspensus, ex diuersis enim non sic illatio, arg. capit. 2. de translat. & l. Papinianus, ff. de minor. ob quam etiam rationem, ab vno ordine, vel ab vno officio suspensus, ab alio ordine, vel officio suspensus non esse superius docuimus.

**30** Ex quibus inferitur solutio illius dubij, quod supra insinuauimus vers. Decimo; An scilicet suspensus a beneficio in vno loco, possit accipere de nouo aliud beneficium in alio loco. In qua re licet DD. dubij sint, & diuersimodè loqui videantur, siquidem glos. in ca. latores, in verbo, ab officio, de Cler. excom. ministr. loquendo de suspensione hominis, simpliciter ait, posse, si sit suspensus solum a beneficio, quia Iudex non videtur intendere talem suspendere nisi quoad se, & in sua Diocesi, secus, si suspensus esset ab officio, quia tunc cum nullibi possit officiare, nullibi possit accipere beneficium quod datur propter officium, ca. fin. de Rescrip. lib. 6. & ibi glos. in verbo, Datur, & Palud. 4. d. 18. quest. 7. art. 3. Conclus. 3. E contra verò, glos. in capitul. per inquisitionem, in verbo, se indignum, in fine, de elect. affirmare videtur, suspensum a beneficio eligi non posse ad aliud beneficium durante suspensione, vbi Panormita, num. 8. hoc dictum glossæ restringit ad beneficia eiusdem Ecclesiæ, quasi secus sentiendum sit de alterius loci beneficijs. Ceterum, omissis alijs multis, putarem respondendum esse in hoc dubio, secundum illa dicta in tertia sententia dubij præcedentis, accommodando ea quæ dicta sunt de suspensione a beneficijs in alio loco habitis ad beneficia de futuro habenda, & ita procedendum iuxta singula dicta ab Ant. Pan. & alijs ibi fusius tradita.

## De reliquis sex suspensionis modis. Cap. VII.

### S Y M M A R I V M.

- 1 Suspensio [ ab officio, & beneficio ] quem effectum habet.
- 2 Suspensio [ ab officio, vel beneficio ] quid operatur.
- 3 Sententia incerta nomen sententiæ non meretur.
- 4 Suspensum se existimans, cum tamen verè non sit, contra sententiam faciendo peccat mortaliter, irregularitatem tamen non incurrit.
- 5 Administratio temporalis in qua re consistat.
- 6 Administratio spiritualis quid sit, & in quibus rebus posita sit.
- 7 Suspensus ab administratione in spiritualibus, Missam celebrare non potest.
- 8 Suspensus a perceptione Sacramentorum, quamuis sacramenta sumendo grauiter peccet, irregularitatem tamen non incurrit, & quæ huius sit ratio.
- 9 Suspensio a collatione sacramentorum vera censura est, & quid prohibeat.

**10** Suspensus a collatione sacramentorum, baptizando in necessitate sine solennitate, nec peccat, nec irregularis est.

**11** Suspensio [ ab ingressu Ecclesiæ ] aliquando etiam interdum appellatur.

**12** Suspensus ab ingressu Ecclesiæ extra Ecclesiam celebrando, irregularis non est.

**13** Suspensus ab ingressu Ecclesiæ officia diuina in Ecclesia audire nequit.

**14** Suspensus ab ingressu Ecclesiæ quando audiendo officia diuina in Ecclesia irregularitatem incurrat.

**15** Autorizare quis censendus.

**16** Suspensio ab ingressu Ecclesiæ celebrationem etiam in cimiterio prohibet, siue cimiterium contiguum Ecclesiæ sit, siue non.

**17** Suspensus ab ingressu Ecclesiæ, ecclesiasticam suam iurisdictionem vbiunque exercere valet.

**18** Suspensus ab ingressu Ecclesiæ, nec in cimiterio sepeliri potest, quamuis si in Ecclesia sepeliatur non tamen propterea Ecclesia polluta erit.

**1** **D**ecimus Tertius modus est, *Suspensio ab officio, & beneficio*: Hæc patet ex dictis in Nono, & Duodecimo suspendendi modis. Quibus vnum solum addo, suspensionem hanc omnium grauissimam esse quippe, quæ suspendit ab omnibus, a quibus censura hæc proprie dicta suspendere potest, scilicet ab Ordine, & Iurisdictione, quæ sub officij, & Beneficij nominibus continentur.

**2** *Decimus Quartus* modus est, *Suspensio ab officio, vel beneficio*: De hac suspensione est magna quæstio inter Doctores quidnam prohibeat.

*Prima* opinio est glos. in cap. a crapula, in verbo, vel beneficio, de vita & hon. Cler. & in ca. latores, in verb. ab officio, & ibi Hostiens. de Cler. excom. ministr. & ibid. Panorm. num. 7. dicentium, sic suspensum abstinere debere ab vtroque, scilicet ab officio, & beneficio; hoc tamen affirmant, non tanquam certum, sed tanquam tutius. Quæ opinio probari ex eo potest, Primò, quia vbi dubitatur de validitate sententiæ qui ea constructus tenetur, abstinere se debet, exi stente enim dubio faciendâ est tutior interpretatio licet sit durior, arg. c. illud, de Cler. excom. ministr. Secundò, quia hoc modo suspendens, ab vtroque suspendere voluisse iudicatur, censuræ enim magis a voluntate proferentis, quàm a verbis dependet.

*Secunda* opinio relata a Burgasio, in tract. de irreg. par. 6. in tit. de Suspensione, num. 29. ex Tarantasia, intelligit tantum a beneficio.

*Tertia* est quorundam relatorum apud eundem in voluntate ipsius suspensi positam esse eligere, an voluerit ab officio vel a beneficio suspendi; Addunt tamen, eum, postquam semel elegerit alterutram, non posse illam mutare.

*Quarta* est Calderini in Cleme. Cupientes. de pœnis. quem refert, & sequitur Tabiena, in verbo, suspensio, n. 5. vers. Quarto, & Goffredi in c. Quanto. de magistris. vt refert Pan. in ca. latores, num. 7. de Cle. excom. ministr. S. Anton. 3. par. tit. 28. cap. 4. Rosel. verbo, suspensio, & Syl. eod. nu. 5. Na. in Man. c. 27. nu. 161. vers. Quarto. Maiol. li. 3. de irreg. c. 19. nu. 14. vers. Prima declaratio. Lud. Lopez 2. par. Instr. c. 97. vers. Vltimo. in fine. & Henric. li. 13. de exco. & susp. c. 32. §. 4. Alphon. Viualdi, in suo Candelabro aureo tit. de Suspensione. nu. 155. Vgol. Tab. 1. de cens. Eccles. ca. 20. §. 3. nu. 4. dicentium hanc suspensionem propter incertitudinem a neutro suspendere, & consequenter sic suspensum ad neutrum teneri. Quæ sententia quia cõis est, & mitior, mihi magis placet, præsertim cum sententia sine certa quantitate prolata non mereatur nomẽ sententiæ, vt C. de sent. quæ si ne cert. quant. profertur, l. 3. & huiusmodi sententia nõquã reperitur in iure, sed prouenit ex imperitia, vel inconsideratione Iudicis, vnde illi imputetur. Adde quod Censura ijs verbis exprimi debet, quæ explicet quæ censura quis afficiatur, qualis non est hæc, alterna enim nihil certi, aut determinati ponit; vnde vt incerta, nulla, & irrita censenda est. Antonius